

B. Duvoyer Invenit del. 1806.

F. De Ghandt Sculp.

Ex Libris C. Van Multhem.

Res

292v

Mixefilmado

~~M. 2-57~~

~~287~~


RES.

292V

dition originale
très rare.







DAMIANVS A GOES.

*Thucydæ's gentis enarrat gesta Pelasgæ
Romanis claret Livi in Decasiv
Hic, alia ut taceam serâ data scripta senectâ,
ÆTHIOPIAM accepit nomen ab HISTORIA.*

9-15
DAMIANI
GOIS EQVITIS LVSI-
TANI. VRBIS LO-
VANIENTSIS OB-
SIDIO. 1542.

OLISIPONE APVD
Lodouicum Rhoto-
rigium typogra-
phum.

M. D. XLVI.



Res
292



DAMIANI GOIS

EQVITIS LVSIANIDE



captiuitate sua, Et de ijs, Quæ ad Lo-

uanium à Longouallio Gallorum

duce acta sunt, ad Carolum

Quintum Augustum

Vera narratio.



A est Caesar Auguste mal-
torum hominum natura, ut poti-
us obrectãdi studio, quàm re-
ferenda gratia delectetur. Ac
habet quidẽ humana natura mul-
ta & magna uitia, sed nullum ta-
men grauius, neq; intolerabilius, quàm illam obli-
uionem gratiæ, coniunctam cum laceratione, &
oppressionẽ uirtutis alienæ, In quo crimine, id eti-
am inest mali, quod qui eo obstricti sunt, uitia quæ
à natura habent, artificio quodam malitiæ condi-
unt. Quicumq; enim ingratus esse uult, ut ingratus
esse possit, eleuat beneficia in se collocata, famamq;
illorum arrodit, et carpit, ut uel nihil, uel perquam
pusillum debere uideatur. Sed si est aliqua discipli-

na uirtutis, si ullum studium sapientiae extat, non
deberent qui haec profitentur, eiusmodi artibus, ad
honorum uirorum, beneque de se meritum, samam
dignitatemque laedendam abuti. Quod cum uemini
mortalium, multo tamen minus Louaniensibus id
conuenit, in quos publice, priuatimque tam multa
mea merita constabant, quorumque periculum et discrimen,
periculo capitis fortunarumque mearum gra-
uissimis temporibus ciuitatis auerteram. Quorum
pro beneficijs meis maleficia, pro studijs odia, pro
salute ciuitati data, perniciem prope redditam, sa-
cra tua maiestas paucis cognoscere ne grauetur.
Cum summa semper nescio qua literarum admira-
tione olim tenerer, neque tamen ob aulica negotia in
quibus a puero pene enutritus uersabar, operam eis
liberam impendere ualerem, non remittente se interim
affectu, coepi cogitare mecum, quomodo tandem
his uacare possem. Nec defuit consilio successus. Lo-
uanium enim Antuerpia relicta (ubi tum ob nego-
tia regis agebam) me contulit. Sed hoc in loco cum
septem ferme menses coluissem mansuetiores musas,
ab inuictissimo Ioanne huius nominis tertio Lusit-
anorum rege (apud quem a puercia educatus fue-
ram) ultro delata mihi orientalium Indiarum iura

*fortis dignitate, in aulam asciscor. Qua de causa re
 uersus in patriam, cū magis magisq; literarū amore
 flagrarem, quæsturam uix uitam deposui, ac dein
 de peragratis, perlustratisque aliquamdiu uarijs re
 gionibus & academijs, cum inter cæteras, Braban
 tia tua Cæsar Augustissime, impensius mihi com
 mendaretur, Louanium cum uxore, quam in Hollā
 dia rege absentiente duxeram, studiorum gratia com
 migraui. Quod quidem oppidum, multis antea &
 maximis beneuolentiæ argumentis, sēper edocui mi
 hi intime charum & iucundum fuisse. Quæ autem
 ibi uitæ meæ, quæ instituendæ, alendæq; familiæ ra
 tio, quæ coniunctio non solum cū optimatibus aca
 demicæ, uerum etiam cum decurionibus ac nobilitate
 municipij fuerit, quam deniq; illustri gratia tum stu
 diosorū, tum ciuium floruerim, ab illis potius te Cæ
 sar inuide, quam ex me cognoscere malo. Et si enim
 defloruit gratia, memoriaq; nostrorum beneficiorū
 una cum detrimento fortunarum mearum, quibusq;
 ante obsidionem charissimus eram, iisdem post libe
 rationem urbis, ne quidquā debere mihi uiderentur,
 grauis esse coepi, spero tamen testimonium publicū
 innocentie pietatisq; meæ nequaquam mihi denega
 tum iri. Casus autē qui me à ciuitate alienauit, hic*

A in

fuit. Cum sub æstiuis mensibus in Hollædiam cum uxore, usitato more properarem, ut ea patriæ solo quotannis frueretur, ac interea aliquot dies suspenso itinere Antuerpiæ hærerem, ecce nuncium per certos homines accipio, hostilem illam manum, quæ nulla denunciatione belli facta, instar prædonum, Brabantiam repentinis depopulationibus, incendijs, cædibus, uastabat, Louanium magnis itineribus contendere, ibiq; sedem belli statuere, quo tanquam ad domicilium martis, utrinq; è Gelria & è Gallia exercitus tuto commearent, quæ locum si armis tenerent, certa iam illos spe foueri, proxima quæq; in ditionem & potestatem suam redigendi, accessione præsertim copiarum Gallicarum, quas Aureliorum dux non ita procul apud Luodium sub signis habebat. His rebus cognitis, meus ille in academiam Louaniensem fatalis amor, me ex itinere Louanium retraxit, multum sane reluctante uxore, multum dissuadentibus amicis, & tanquã diuina quadã præsenstone, cunctis infauista ominantibus. Sed gratitudinis, pietatisq; meæ esse iudicabam, pro uirili mea parte, armis, consilijsq; ei urbi succurrere, quæ me quasi pia mater prope in sinu suo inter literas ac literatos fouisset. Aduolo igitur cõfestim ad urbem

eamq; eodem die ingredior, quo pleriq; illam ciues
 & municipales, relictis aris, focus, coniuge, liberis,
 per summum dedecus deserebant. Vxor etiam quia
 me ab hac incitatione animi, susceptoq; consilio de-
 fendendæ urbis, lacrymis, lamentisq; suis deflecte-
 re non potuit, iter meum subsequuta est. Quam gra-
 tus autem fuerit aduentus meus, ex eo haud obscure
 cognoscei poterit, quod eodem prope momento, quo
 cognitum est de meo reditu, à magistratibus in se-
 natum uocor: ibi de munienda pro magnitudine pe-
 riculi, defendendaq; ciuitate, consilio habito, in tantis
 asperitatibus rerum, angustissq; temporis, uarie la-
 teq; disceptatum est. Placuit tandem, ut ego cū pau-
 cis alijs, oppidum intus forisq; inspicerem, remq; to-
 tam explorate perceptam & cognitam ad sena-
 tum referrem. Quod munus ut summo studio sus-
 cepti, ita susceptum nauiter alacriterq; obiui, ac-
 quid mihi de situ, naturaq; loci, de munienda, defen-
 dendaq; ciuitate, deq; habendo delectu iuuentutis ui-
 deretur, uniuerso senatui uerbis scriptisq; aperui, ac
 deinde qua potui diligentia, industria, fide, ad om-
 nia celeriter sagaciterq; prouidenda, ubiq; præsens
 præstoq; fui, neq; usquam defui, ubi usum aliquem
 mei fore ciuitas iudicabat. Quæ cura cum me ibi

aliquamdiu occupatum tenuisset, rebus pro tempore
compositis, domum redeo, quo statim Rector ipse
cum dignitatis suæ insignibus subsequitur, ac uniuersitatis nomine mihi mandat, ut illico in ædem Diui
Petri me conferam, quo iam frequens Academia
conuenerat. Obtempero, in senatum uenio. Quis ur
bis status, quæ conseruanda eius spes ac ratio foret,
diligenter sciscitantibus sententiam meam expono.
Ad extremum, post uarios de summa reip. defendē
de ultro citroq; communicatos finitosq; sermones,
communi omnium suffragio et sententia rogor, uir
studiosæ iuuentutis, quæ adhuc in ciuitate reliqua
erat, præfecturam susciperem. Itaq; post meum in
oppidum aduentum, cautum decretumq; sub poena
capitis fuit, nequis clam, palam ue ab urbe profuge
ret, ac ne quenquam uigiliæ quæ ad portas in statio
nibus erant, excedere ex urbe paterentur. Hæc et
si non ignorabam, tum ob nimiam iuuentutis licenti
am et indomitos mores, tum ob nationum uariarum
dissimilitudinem, quam difficilis ac periculosa pro
uincia foret, tamen cum qua de causa Louanium re
dissem, mecum reputarem, curam illam tandem, etsi
grauate, suscepi. Atq; ex eo tempore etiam consi
deratius, quæ ad defensionem salutis omnium perti

neret, cogitare prospicereq; coepi. Mittitur interea
ad nos à serenissima Maria Hùgaria, Bohemia,
et c. regina uidua sorore tua charissima (cui huius
inferioris Germaniæ ac Galliæ belgicæ tuæ gu-
bernacula, ob singularem eius prudentiam merito
commisisti) Philippus Dorlay gallicæ Brabantia
prætor, qui summæ rerum Louanij præset. Mit-
titur item cum trecentis tyronibus Cōradus comes
Vernembergensis. Postremo aut sub diluculum
eius diei, quo hostis ad moenia accessit, aduentare
quoq; cum equitatu Georgius Rolyn dominus Em-
meriensis nunciatur. Quã obrem à me Ioannes Tō-
men tunc temporis consul petit, uti honoris causa
ei obuiam irem, quem plus minus una equitum centu-
ria stipatum in urbem atq; in diuersorium deduxi.
Quo numere persunctus, quia satis constabat hos-
tes non procul ab urbe abesse, inspiciendarum uigili-
arū gratia, armatus ad moenia hostibus proximiora
contendo. Ibi sane excubias magna ex parte statici-
bus etiã alicubi desertis, mire cōsternatas fractasq;
reperi, cum iam non fama hostilis aduentus, sed
flāma quoq; in oculis esset, qua deuastari omnia ex
muris prospiciebāt, Quibus ex tempore, adhorta-
tione ac spe maioris præsidij (quam serenissimæ re-

B

gina nobis facerant litera) confirmatis, ceterisque
procuratis, quae ad horam ferme Diei tertiam qua
quaerens equitando desiderari animaduerti, in cu-
ria me confere, ubi omnes magistratus optimatesque
ciuitatis una cum comite uernembergenfi, et domino
Emmeriensi, praetoreque Brabantiae Senatum coge-
bant. Quos cum de raritate, trepidationeque eorum
qui excubarent, pro salute ciuitatis asperius mo-
nuissem, stomachans non arctiore disciplina in ta-
to periculo ciuitatis uigilias coerceri, comiti Ver-
nembergenfi assideo, interea autem dum consulitur, quid
faciendum esset, per Christophorum Pheegel ger-
manicae nationis iuuenem fortem et impigrum, subi-
to denunciatur mihi nomine uniuersitatis, ut omni ce-
leritate domum meam contenderem, ubi omnis acade-
miae iuuentus, autoritate academica uoceque praeco-
nis cum armis conuenerat, ut pro ratione temporis
officioque ducis suscepto, cum illis agerem. Quibus
mandatis obtemperans e Senatu confestim ad aedes
meas propero, et quos ibi scholasticos frequentes inue-
nio, euestigio una cum magistro Seuerino Feiten Fri-
sio, legato meo, uiro strenuo, et ad id munus ab ipsa
Academia prudenter delecto, in forum deduxi, ibi-
deque fide data sese militaribus officijs astrinxere. In
de agmine composito eos ad moenia deduxi, qua par

54
te hostis potissimū expectabatur, qui locus medius
erat inter portā Bruxellensē & fluuiolum, quē uul
go *Vurā* appellāt, ac ciues omnes, qui ibi excubabāt
ad alias urbis partes defendēdas discedere iussi. Na
tiones etiam ne quam permistæ turbam concitarent,
certis locis distinxi. Hæc atq; alia summa sedulita
te agenti mihi renunciatur, hostes misisse foeciale su
um, qui cū oppidanis colloquium exposceret, eumq;
intra moenia ac porro in senatum admissum, ad quē
nunciū stupefactus, ob temerariam stulticiam, &
stultam temeritatē eorū, qui hostē intra portas rece
pissent, eiusq; oculis raritatē propugnatorū, solitu
diuem urbis, trepidationē non solum foeminarū, pue
rorumq; sed etiā uirorum ac rem deniq; omnē cōtēs
plādā subiecissent. Eam ob rem muneris mei nō im
memor cursim in curiam redeo, ac cum circumactis
huc illuc oculis, comitē *Vernembergensē*, dominum
Emmeriensē, *Brabantiae* prætorem (nā hos euoca
tus ad milites meos in curia reliqueram) nusquam
uiderē, eorum absentiam demiratus, sine quorum
consilio & autoritate, nihil tale fieri debebat, ut
pote qui in suam fidem & tutelā *Louaniensium* ur
bem a *Serenissima Regina Hungariae* recepissent:
rogo num illi tam absurdam rem iustissent, et cur

B ij

in præsentia à senatu abessent, respōdetur ab uni-
uersis, omnes iam ex oppido profugisse. Percūctāti
porro quid sibi fœcialis uellet, aiunt cum regis Gal-
lorū nomine, deditiōnē urbis pōscere, proinde se con-
tra emisisse tubicinem, qui colloquium cum hoste im-
petraret, interea fœciale in oppido cōmorari ius-
sum. Commouebat sane me non parum responsum
hoc, et perturbabar non mediocriter, quod uiderem
non tantum non ex eorum, qui iam abscesserāt, au-
thoritate, sed ne me quidē in cōsiliū adhibito, ac ne
conscio quidem, qui solus supereram, quiq; inter mi-
lites academiæ caput et dux autoritate publica
constitutus eram, tātā rem esse cœptam. Sed quid
facerem? Iacta iam erat alea, nec abhorrere animos
à deditiōne, et, ut in re deplorata, omnia malle, quam
uim hostium experiri palam erat. Videns igitur
meum cōsiliū, aut non requiri, aut non magni fie-
ri, eosque quo semel timore inclinauerant præcipi-
tes ferri, mœstus ægerq; ad meos recurro, ut ipsos
quāu possē maxime in officio continerem, confir-
maremq;. At eo cum uentum esset, omnes præter
quāu oppido paucos, anxie ac titubanter, inconstā-
terq; loquētēs inueni. Iā enim plenius certiores erāt
redditi, de illa turpissima ducum fuga ex urbe, de

6
flagitioso facialis aduentu, de trepidatione senatus,
de tubicine cōtra in castra emissō, ac de desperatione
ne deniq; cōseruāda ciuitatis. Quare aduentēte me,
num hęc ita essent, pleriq; eorū statim interrogāt,
ad quorum quęsita cum tristius respondiissem, mul-
ta et simulans inuitus, et dissimulans cum dolore, ec-
ce subito quidam interruptis et morientibus uocibus
sic me inclamat. Ita ne ergo nos huc produxisti, ut
te duce omnes trucidemur? uel, quod iam minimū ma-
lorum est, captiui reddamur? Cur rebus adhuc inte-
gris nos non incolumes abire permisisti, cum pro se-
quisq; id abs te precibus cōtenderet? An uero ideo
per uim retenti sumus, ut nobis pro piaculo datis, fa-
ciliior ciuitati foret cum hostibus transactio? Nam
quorsum hoc petitum est colloquium, nisi ut si alia
forte ratione pacem ciuitas facere nequeat, nos in
eorum potestatem tradant, ac deditione corporum
nostrorū, qui hic peregrini atq; aduenā sumus, salu-
tem urbi ac ciuibus redimant. Hęc et alia cum iu-
uentus plane iam turbulenta, et furore quodam in-
credibili percita fremeret, ita uultus oculiq; eorum
perpulerunt me, ut nihil unquam in uita mihi accide-
rit indignius, uel tulerim acerbius, Quis enim cuius
integra conscientia est, ac fraudis scelerisq; nescia,

proditionis crimen dissimulāter audiat? Talibus igitur uocibus mihi circum aures strepentibus, cum ea & turbulenta & temeraria & periculosa esse uiderem, multaq; saepe inopinantibus ducibus uim belli ac turbam moliri non nescirem, remittere me illis fidem datam mihi paulo antea respondi, neq; enim congruere ipsis aut reip. ut quem suspectum insensumq; putent, ad eius ductum omnes uires ciuitatis applicarent, neq; alias mihi gratum ducis nomē praesertim in ea ciuitate, in qua cum hostibus inconsulto duce pactio tentaretur. Itaq; commilitonem me deinceps appellarent, & de fide mea pro experimentis statuerent, uelle equidem me omnes bellicos labores, omnes militaris leges aequae cum ipsis pati & subire, alij inquam loquantur cum hoste, pro arbitrio paciscantur, transigantq; ego cum omnibus comunē belli euentum expectabo. Quod uero iuuenum insolentiae ac tempore caedens, ducis me imperio abdicauit, & me illis cōmilitonem ad comunia pericula obeunda, prōtissimum fore professus sum, non est cur calumnientur aemuli, perperā illos a nobis relaxatos, cū praesertim nulli stipendio addicti, nulla stipulatione alligati nollent sine ulla spe ad interitū ruere uolūtariū. Ego quoq; Academia et rectore rogāte liber a iurcirādo eosdē illos liberos liberali imperio

7
babui, dum tēpus & rerum ratio tulit, eadem urgen-
te, non nouo consilio, sed maiorum exemplo, simula-
tam hanc relaxationem, amplexus sum, ut eo arden-
tius atq; acrius iuuentutem ad urbis defensionem ex-
citarem, & id à quo animus abhorrebat, oratione
significauī, ac aperte dixi me scilicet nomen Ducis
nec ambiuisse nec ābire, ea propter ut cum iuuentus
omnis, quam ex tota Academia exciuiimus, animad-
uerteret in tantis rerum angustijs ductore se suo, et
omni spe salutis orbatam esse, maiore studio officii
meum requirere cogeretur, & cum permultos ex il-
lis retentos in oppido inuitos, atq; id meo potissimū
cōsilio, à senatu decretum fuisse recordarer, quādo
iam cæteri duces in fugā se dedissent, & ciues pmul-
ti, eorum pedes fugaces & uestigia odorantes perse-
querentur similem ulā, uolui iuuentutem a fide mihi
præstita liberare, ne ullus iuitus uel coactus sub me
is signis militaret, ut eo cōsilio timidos uel ablegarē
uel animosiores fortioresq; ad urbis defensionē red-
derem. Simili ratione ut a belli periculis abesset spar-
tana iuuentus, causa dissimulata, literisq; datis, ad
Ephoros remittitur. Pari arte & prouidentia mi-
lites Cæsariani ignominiosa missione apud Vesun-
tionem in officio retenti fuere. Tali deniq; cōsilio ipe-
ratorio p̄ sepe belli duces præstātissimi usti sūt quorū

uidelicet præcipua bene consulendi portio hac laude continetur, ut dispiciant non solum quid per se optimum sit, sed quid pro temporis ratione possit obtineri. Quid opus est uerbis? In eum iam res erat progressa locum, ut exitum honestum nemo prospiceret. Ita omnes dubitabant, hæsitabant, circumspectabant omnia, quicquid increpauerat pertimescebant, diffidebant rebus suis. Aderat tamè in ea armatorum corona ut fere sit in multitudine Æquiores alij, et cõsiliij sanioris, quos id, quod ppter imperitos factum maxime uolebã, non mediocriter cõmouit. Hi statim aggrediuntur me atq; orant, ne propter quorundam temeritatem, uniuersos desererem. Sed quando eo nunc uentum sit, ut senatus omnino decreuerit cum hoste colloquium, etiam atque etiam prouiderè, ut studiosæ iuuentutis ratio haberetur, nec de ipsis grauius quicquam, quàm de ciuibus statueretur. Id uero et si senatus ab initio incõsulto me cõstituisset, tamè ne alicubi mea opera studiosis denegata uideretur, sedulo me facturum, aditurumq; extemplo senatum polliceor. His itaq; uerbis in uallo habitis, præsidio prius perlustrato, cura excubiarum Seuerino ita delegata, in curiam reuertor. Quo in itinere, iuxta Carthusianorum stagnum, nõ longe à moenibus, ob-

8.

uius mihi sit Ioannes Rauenschot patritius Loua
niensis, a quo scio certior, Senatum ad portam Bru
xellensem iam adesse, ut in congressum colloquiumq;
cum hoste ueniret. Quæ res ut antea mihi, dum me
in scio statueretur, ita nunc cum perficeretur, nouo
rursus dolori, & gritudiniq; esse coepit, nihilominus
eamdem portam petere decreui, ibi cognoui hostium
Duces fide data quatuor oppidanos ad colloquium
admisisse, hic ego memor meorum, & de cõmuni il
lorum salute auxius, interrogo statim de nominibus
eorum qui ad id muneris essent designati: Respon
detur primum esse Hadrianum Blehemum tunc ci
uitatis prætorem, secundum Ioannem Tommen eo
dem tempore (ut dixi) consulem, Tercium Applesi
num quendam, quem dominus ab Emmerija sibi le
gatum fecerat, Quartum uero, ut tum erat omniũ
rerum pertubatio, ignorari. Confestim prætor me
rogat, ne meam operam in rebus tam afflictis ciuita
ti denegarem, uerum ut me quartum illum facerem,
qui authoritate publica, colloquio destinatus, hostiũ
timore forte percussus se subduxisset, Ibi coniectis
simul multorum in me oculis, huc etiam inuitatibus,
dubius primum consulti, quod statim subiræt animo,
quæ me uelut manerem, uel ad colloquium exirem

instigare uiderentur; ad extremum cum crederem id mihi à ciuitate imperari, quod à prætore ciuitatis rogabatur, feci inquã id quod me facere singuli atq; uniuerſi ciues atq; etiam ſtudioſi ſi conſulti fuiſſet non uoluiffent modo, uerum etiam impenſe me rogauiſſent. Egreſſus ergo cum tribus illis quos ſupra retuli, in caſtra hoſtium per focialem illum, qui temere dudum in oppidum receptus fuerat, deducimur. Cum autem uentum eſſet ad Leproſariam Bancenſem, quæ non multum diſtat à moenibus, ſeorſum ab alijs Nicolaum Boſſutium dominũ Longeualis, Martinum Roſſemum Gelrtæ metatorem, & quendam alium nobilem gallum, nomine Iuerſellium, offendimus, inter quos Longouallius ut exercitus caput, minas promiſſaq; magnifica iactabat, hinc uerborum iactatione libertatem, omniumq; tributorum immunitatem, illinc denunciatione periculorum cædes, incendia, aliasq; belli calamitates, facillimã oppidi expugnationẽ, eandemq; omni ordini ac ætati pernicioſiſſimã oſtentans. Proinde ſecum ciues expenderent, premia an ſupplicia expecrare mallent, ſe ſanguini parſurum ſi leges ſuas reciperent. Hoc in colloquio cum à nobis diditio multis & uarijs argumentis repudiata eſſet, propoſita

9
st ab hoste pactio redemptionis, ut trimestre stipen-
dium hostili exercitui solueremus, quod in singulos
menses erat septuaginta millium coronatorum aure-
orum. His additum erat ut omnia tormenta, machi-
nasque bellicas, globos pulveres & quicquid ad eorum
instrumentum & apparatus pertineret, tradere-
mus. Commeatium quoque & annonam exercitui præ-
beremus, sed uisto præcio. Quod si uero in has le-
ges conuenisset, uolebat etiam ut quatuor ex proceri-
bus oppidi sibi pro obsidibus darentur. Tandem cum
alii tres deputati ac ego non uideri nobis tam iniquas
conditiones ab oppidanis impetrari posse ostendisse-
mus, eo descendit hostis ut septuaginta coronato-
rum millia accepturum se, de cæteris autem nihil re-
missurum diceret: Itaque cum postulatis huiusmodi
ad senatum in curiam quo item uiros primarios
populi & Academiæ conuenisse constabat, re-
uertimus. Ibi (ut multa breuitatis causa prætermi-
tam) omnium suffragiis uisum est, & pecuniam
illam & obsides dandos esse. Ad hæc prætori
mandatum, ut congios (quos amas uocant) qua-
draginta uini & centum cercuisiæ hostium ducibus
oferret, si a petendis pulueribus tormentarijs, bom-
bardis que desistere uellent, sin minus bombardas

saltem retineret: Commeatum autem præcio legitimo hostibus polliceretur, Id quoque omnium ore decretum est, ut si hostis nec prece nec precio nec gratia apostulatis deduci posset, omnia potius tradenda, quæ exigebat, nempe septuaginta millia coronatorum bombardis et pulveres, quam in eius manus incidendum esse: Nam intra moenia nec animus nec vires erant, quibus oppugnationi resisteretur, ac unusquisque iam latibalis occultorum lecorum, vitam fortunaque suas tegere conabatur. Quæ cum satis confuse et pertumultuose consilijs, animisque omnium per summum terrorem turbatis, anxijque acta essent, ut norunt omnes qui tum Louanij fuere, prætor, Applestinus et ego, Senatus et Academia decreto iurum cum obsidibus in castra egressi sumus, qui fuere Ioannes Tommen, Consul, ijs qui prius colloquio fuerat destinatus, Gregorius a Dieuen, Bartholomæus Hætueldius, et Iacobus Velius iuris licentiatus. Deducentibus obsides, multi comites tum studiosorum tum civium (ut qui sibi certi de pace aut inducijs essent) fuerunt. Vbi autem ad hostem ventum est, qui nos iuxta Bruxellensem portam operiebatur, Longouallius, qui exacte iam a suo fociale intellexerat, quid animi, quid militum in oppido esset,

prætoris orationem interrompens se cum tot milli-
 bus, quot sibi uideretur, ingredi oppidum uelle ait.
 Qua rei nouitate omnibus stupefactis prætor res-
 pondit se præter ea quæ in mandatis habebat, nihil
 offerre posse, Quod si ea non placerent, non habere
 sese quod polliceretur amplius. Ad hæc Longoua-
 lius deditioem ciuitatis Regis sui nomine acerbius
 flagitās extrema queq; ac crudelissima ciuibus mini-
 tabantur. Tandem cum utrimq; uaria tractarētur,
 ut de oppido dedendo cum ciuibus & magistratu in-
 tus communicare liceret, prætori dimidium horæ
 tantummodo ad reditum tribuit, Tanta erat oppi-
 di expugnandi hostium libido, ut in re tanti momen-
 ti, plus temporis ad deliberationem concedere nolue-
 rint. Prætor ergo in urbem reuertitur, sequentibus
 eum multis, qui prius una exierant. Ego uero eius
 temporis quod dabatur, breuitatem contemplans, cū
 interea non tam in Senatu, quam foris apud hostem
 cōmuni omnium saluti prodesse posse me indicarem,
 manendum mihi fors, colloquendumq; de conditio-
 nibus primis, interea, dum prætor rediret, statui. E-
 tenim cum foedera, quibus cum hoste deuincitur fi-
 des, negligi uiderem, metuebam ne quemadmodum
 Longouallius semel, ita quoq; iterum appendicem

durio rem postulat is adisceret Hæc autem ne acci-
derent, continuo colloquio, pertractando animo ho-
minis, & captanda uoluntate, impedire posse existi-
mabam, ne pluris redemptionem ciuitatis licitare-
tur. Alia mihi quoq; manendi causa fuit, qua nõ me
ocriter angebar, Timebam enim ne sanatus pertur-
bato iam & rebus diffidenti deditio placeret, cuius
consilij ego particeps uel conscius esse nolebam, des-
perans omnino ut erat neruis omnibus urbs ipsa so-
luta & debilitata me tali cõsilio resistere posse. Sed
roget quis, quænam tibi Damiane fuit cum Longo-
uallio amicitia, ut ea fretus deditio nis spem illi ad-
mere conereris? quæ tandè uero esset, nisi quod cū bo-
na spes cum omnium rerum desperatione confligit,
in asuctis ac perditis rebus fidenter infirma præsto-
dia, pro ualidis amplexamur. Superiori colloquio
quod cum hostibus fuit, intellexit Longouallius me
Lusitanum esse ex gente minime, ob prisca inter
Reges foedera, inuisa: me item non nullos in Gallia
Lusitanos habere amicitia & sanguine coniunctos,
quibus cum magna necessitudo Longouallio inter-
cesserat. Quibus rebus effectū est, ut mecum huma-
nus loqui & multum de iruculento aspectu & uio-
lentia sermonis remittere cœperit. Ita q̄ fiducia illius

recentis noticiæ beneuolentiæꝫ quam Longoualli
us in præsens simulabat, illic substiti. Quid ni? No
nne firmamentum stabilitatis eius, quam in bello
quiærimus est fides, & conscientia promissorū? hæc
cum mihi publica iussu Senatus hostisq; data esset
nō subsisterem, cuius rei fiducia reuerteram, eiusdem
non manerem? Vbi illa est antiquæ fiduciæ formu
la, inter bonos bene agier oportet, ut ne propter te,
fidemue tuā captus fraudatusue sim. At qui mul
tis audientibus sepe tuum ad hostem dixi huius iurisi
urandi religione & uirtutis fiducia nixus, Louani
enses Senatusconsulto facto, communiq; consensu,
omnia prius tentare, pati & ferre constituisse, quā
in deditonem uenire. Quare si commodis principis
sui, suisque prospectum cuperet, pactiones illas
pecuniarias potuis admiteret, quam frustra oppi
dam oppugnatione appeteret, cuius exitum non du
bitarem longe alium futurū quā ipse opinaretur,
Tandem nullis argumentis, nullaq; ratione hostis
commotus sancte affirmabat se copia militum, nec
oppidum nec oppidanos grauaturum, si deditio
procederet, sin minus oppugnationem iamiam fu
turam. Quod ego quorsum attineret, circumspici
ens, omnes armorum bellique casus incertos esse, an-

cipitesq; dicebam. Ac talia me foris agente expe-
ctateq; prætoris reuersionem (uix dum enim eius tē-
poris, quod ad consultandum exiguum concessum
erat, dimidia pars effluxerat) dum induciarum fi-
ducia securo prorsus animo hostes iuxta fossam &
portam Bruxellensem passim uagabantur, ecce su-
bito præter omnium expectationem, bombardarum
sonitu, & iaculis omnia compleri coæpta, qua quidē
re siue diuinitus, siue astu militari euenerit, perculsi
attonitiq; hostes, alij in partes alias effusi, in fugam
cuncti conuersi sunt. Ego uero & si gaudio magno
exiliebam, quia urbi à regina succursum putabam,
hostilemq; spem delusam, tamen de me quid repente
statuerem haud reperiēbam. Nam fuga in qua hos-
tes spem collocauerant, eam undiq; perniciosam mi-
hi prospiciebam. Quo enim me reciperem? in ciuita-
tem ne? cuius iam portæ clausæ & tela emissæ acces-
sum prohibebant? In castra ne? at qui hostes sciebam
omni diritate atq; immanitate teterrimus fore. A
lateribus autem profugiū impediēbāt obiecti hinc il-
linc impedimentorum aggeres, ueruntamen hisce tan-
tis difficultatibus subito circumuentus, dum pericu-
lis omnibus posthabitis, equi celeri cursu me recipere
ad urbē connitor, aufereor una cū agmine fugiētiū,

ac circumfusorum impetu cum equo simul, infelix te-
 gatus, ac ciuitati melius quam uitæ meæ consulēs, in
 hostium castra abripior. Atqui Louanienses cla-
 mabant me dignum calamitate, quod non redierim
 cum præatore in urbem. Hunc clamorē discutiemus.
 Si aliquid culpæ inest, nihil deprecor, teq; Augustis-
 sime Cæsar cognitorem facio, apud quē non capti-
 osam legum interpretationē, sed æquitatem ipsam
 plurimum pōderis habere omnibus cōstat. Nec quid
 quam adducam in medium, quod non prius Loua-
 niensibus exhibui. Ac primum redeāt mecū in me-
 moriam illius diei, quæ tantam fortunæ atrocitatē
 tam tristem rerum faciem, tantam totius reip. for-
 midinem ob oculos posuit. Nō inficiabuntur eā fuis-
 se, ob circumstans ciuitatem malum, omnium rerum
 confusionem conuersionemq; ut omnibus libera fa-
 cultas fuerit, quod cuique uidebatur, pro rep. facien-
 di. Nam cum forte tibi, premente tum ui aquarum,
 minor oppidi cataracta elisa esset, de cōsilio quorū
 dam factæ sunt ruinae, quibus aquæ fluxus sistere-
 tur. Nū de damno dato, cum illis agi hodie poterit?
 Multi ut speculatores hostium, ut proditores, mul-
 ti quoq; ut incendiarij aut latrones intra mœnia cō-
 præhensi in custodiam & carceres publicos deducti

D

quorū tamen pauci fontes reperti sunt. Num istis ob
innocentiam dimissis, actio iniuriarum competat ?
Occisus est etiam eodem tempore pro hoste socius,
pro oppugnatore ciuitatis, is qui defensor ei, propu-
gnatorq; uenerat, nec is unus fuit, sed duo una no-
cte. Multa præter ius & æquum in ea trepidati-
one commissa fuere, quæ si singula ad iuris etiam
rigorem deducas, minime tamen eos qui ea egerunt,
ulla lege teneri censeas, quoniam is status reip. fuit,
ut expedire uisum sit à quouis eam adiuuari. Itaq;
consensu quodam tacito legum, edictum mandatūq;
uidebatur, ut quod quisq; in rep. conferre posset, id
conferret, rep. omne id habituram & ratum &
gratum. Vnde etiam nunc talium rerum impunitas
auctoribus libera conseruatur. Atq; hanc potesta-
tem cum omnibus tributam, tum mihi etiam maxime
quod persona publice essem à magistratu & Aca-
demia credidi, cuius senatus consuli persuasione &
boni publici causa remansi foris, reuertente prætore
in oppidum, ut siquid forte melius breui illo tempo-
re, quod solum & ultimum ciuitati iam restare ui-
debatur, prodesse possem apud hostē, eius opportuni-
tatem ne amitterem. Atq; hoc consilio meo, siquid
fuisset effectum boni, ut fructus eius totius fuisset

92
13

Reip. ita contra incommodum certe, quod in foeliciter accidit, in ipsa quoque æquum est ut redundet. Id eo æquius etiam, quod hoc quicquid est infortunij, non mea culpa, sed aliorum maxime superuenit, Nã si fuisset secundum belli leges seruata fides, expectatusque induciarum exitus, potuissem me in tutum recipere, atque eandem cum ijs qui tum in oppido erant, fortunæ aleam subire. Nunc uero uix dimidiato illo decurso tempore quo tuto foris oratoribus abesse licuit, dum adhuc securus colloquor cum hoste, peruiolatas induciarum leges in atrocem illam fortunam incidi, quas si hostis uiolauit prior, ut interpres belli: et consilij et legatus captus sum. Sin aut oppidanum audacia pro uirtute uis, fatali quadam necessitate belligerandum sibi cum fortuna putantes, solem ipsum præ iaculorum multitudine et sagittarum umbra obscurare conati sunt, etiam atque etiam uideas te obsecro Cæsar, num non propterea maiore etiam studio, ac ratione æquiore sim à Louaniensibus subleuandus, quod caput meum quasi certaminis causa, in maximam totius huius belli discrimen obiecerunt, non aliter ac si uniuersæ ciuitatis salus in meo alienigenæ periculo posita esset, et uiolatas religiones induciarum, meo peregrini sanguine atque supplicio

D ij

expian das censerent. Sed ut unde digressus sum re-
uertar, hoc modo in hostium castris interceptus, sub-
tertiam ferme à solis occasu horam, à Longouallio
accersor, qui separatim mira quadã atrocitate cau-
sam extorquere nititur, quare oppidani pactiones
& conditiones bellicas perturbantes periurio, tam
furiose castra sua tormentis uerberarint? Si uera
referrẽ, præmia amplissima, si falsa, mortem certã
proponens. Quæ sane uerba, ut à Duce ira & fu-
rore percito, & si animum fortissimi cuiusq; uiri in-
flectere potuissent, nihilominus omnibus supplicijs
salutem cuium ciuitatisq; anteferens, mortem etiã,
quæ naturæ debita, pro Academia esset potissimũ
reddenda, contemnens, oratione forti & constanti
sic imperatoris animum fregi atq; compressi, ut ho-
stem non solum ab oppugnatione deterruerim, sed fe-
re etiam ad relinquendam obsidionem compulerim.
Certe illud uerissimũ est, quod ex meis uerbis tristis
anxiusq; discedens, & ab omni spe capiendæ urbis
deturbatus, uide inquit quid agas Damiane. Tuã
ego salutẽ adiuravi, ut uel uera cum præmio, uel fal-
sa cum pernicie referres. Si me fallas, ipse tuæ cala-
mitatis auctor fueris. Cui responsum est à me, omni
mortis timore sublato. Nihil deprecor, si falsi cõuin

73
14

car. Sed quonia n more comparatū est, propter te
stimontorum religionem & fidem, quā semper om
nis natio coluit, ut ne no testimonium, ne minimis qui
dem in rebus, de re sua diceret, istius ipsius colloquij
atque illius prioris, quod ante Bruxellensem portā
cum eo habueram, Longouallius ipse uerum & præ
clarum iudicij sui dedit mihi testimoniū, & à se sub
signatum, cui sigillum suum impressit. Hoc diplo
ma, quanquam inuitus, Louanensibus ostēdi, quod
eos ne eatenus quidem commouit, ut mihi el uerbis
gratias agerent. Deum immortalem, quæ ista tanta
feritas atq; barbaria, ut homines summis beneficijs
salutis ac libertatis affecti, ne oris quidem signifi
catione gratiam officij testificari uelint. In eodem
autem fatetur Longouallius auctorem me præcipu
um fuisse, quo minus ipse Louaniū oppugnaret, eāq;
solum ob causam in nouem millium coronatorum
aureorum redemptionem me condēnasse. Tandem
nouitate facti commotus hostis, sollicitus suspicio
ne, suspensus metu, perturbatus oratione mea, re ta
men cum ductoribus communicata, meq; in custodiā
tradito, castra quæ prope muros habebat, de tertia
uigilia, quo tempore oppidū capere decreuerat, Ga
lliam uersus, præter omniū expectationem, moueri

imperat, quō ipse & quidam Iacobus Monchi-
us dominus Dignessan Longouallij gener me cap-
tuum duxerunt, ubi uiginti millia coronatorum ex-
torquere sunt conati, criminantes auctorem me ur-
bis conseruatæ fuisse. Ad extremum in carcere pu-
blico ab eis Landunij Veromandiæ detentus, mul-
tisq; ibi miserijs confectus, ac prope extremum spi-
ritum exhalans, coactus sum nouē millia, ut a nefa-
ri illa crudelitate & tyrannide uitam redimerem,
polliceri. Audita tibi esse arbitror Caesar Au-
guste dicta factaq; mea, qualisq; pietate in Louani-
enses fuerim, qua si erga patriam aut parentes usus
essem, etiam in tanta necessitudine & coniunctione,
non mediocris neq; uulgaris habenda fuisset. Nunc
illam non ciuis erga patriam, non filius erga paren-
tes, sed aduena & hospes erga peregrinos ostendi.
Sed quid huic charitati & bonitati meæ repensum
fuerit, ne prolixior uidear, paucis duntaxat exēplis
declarabo. Gallus quidā genere & diuitijs pra po-
tēs, tutus Academiæ priuilegijs Louanij degebat.
Hunc amici libera & honesta custodia, domi meæ
asseruabant, nec deprecabatur Gallus hanc fortu-
nam, ut qui duriorē carcerem metuebat, nam tum
increbuerat fama nostros scholasticos in Gallia

14
15

carceri traditos esse, istius captivi permutatione no-
stra redemptio sperabatur. Huius enim sororè præ-
ses primus privati consilij apud regem Gallorum
uxorè duxerat. Quid actum? Statim pia mater no-
stra se opposuit, fulminibus immensis minitans meis,
tanquam hoc maxime Academiæ privilegijs ad-
uersaretur, ac demum ei causæ patrono adhibito,
hunc liberat, meq; meosque in expensas damnat. Cre-
do quia erat contra privilegia Vniuersitatis Lo-
uanensis. Atqui hostis in me ante urbem Louanien-
sem omnia privilegia omnium Vniuersitatum uio-
lauerat, superioresq; bello, Lutetiæ parisiensium qui-
dam Cæsariani de bibliotheca sua in ergastula &
latumias abrepti sunt. Sed nolebant aliorum iniuri-
as imitari. Esto. Sed lente hic agendum erat, & in-
lögum differenda sententia, ut medio tēpore Galli
hoc metu adducti, me aliosq; è seruitute libertati re-
stituerent. Nunc omnia sunt festinanter, per-
uerse præpostereq; gesta, ut nihil uel ex mora iudi-
cij commoditatis nanciscerer. Cæterum non fuisset
ideo debilitata Academiæ privilegia, si capti-
uum scholasticum pro captiuo scholastico uel com-
mutassent, uel commutari saltem permisissent, præ-
sertim pro eo qui in manus hostium ob ipsius Aca-
demiæ & totius ciuitatis expiationem inciderat:

Sed alio tendebāt principes Vniuersitatis, idq; suo tempore detegam. Nunc uero ad aliam ingratiu-
nem huic nō dissimilem accedo. Me adhuc apud ho-
stes degente, Carolus Brugeois (qui rectoratum tē-
pore obsidionis gesserat) dignitatem suam deponere
uolens, cum de more ut semper fit, ab uniuersa Aca-
demia testimonium rei bene gestæ magistratusq; rite
perfuncti sibi dari postularet, ibi quidam quorum
nomina honoris causa prætereo, palam reclamare
cœperunt, asserentes omnia sibi placere, quæ rector
tempore illo gesserat, nihilominus se Deū hominesq;
contestari protestariq;, siquid Adriano Blebe-
mio ciuitatis prætori (nam is fato nescio quo inaus-
picato in manus hostium inciderat, & a Martino
Rossemio redemptione duorum millium coronato-
rum fuerat multatus.) aut Damiano Goi tem-
pore obsidionis, nomine Academiæ commendatum
uel imperatum fuisset, eo eorum facultates non tene-
ri, quoniam quicquid illis delegatum ob ciuitatis de-
fensionem fuisset, id ipsis facultatibus absentibus, et
ignorantibus, factum & actum esset. At nunc mi-
hi respōdeant isti protestantes, an non fuerit satis,
tempore illo funestissimo eos ut capita cum alijs nō
paucis, nomine ipsarum facultatū & totius Aca-

45
16

demia, cum rectore in curia comparuisse, quo præ-
tori, Applesino, mihiq; commissæ fuit cura deducē
di obsides promiscue & nomine ciuitatis & Aca-
demie? Certe æquus æstimator iudicabit ratum
id & firmum apud omnes facultates esse debuisse,
quod tunc in curia à Rectore & primarijs urbis
& Academie qui aderant, decretum fuit, quan-
do cæteri cum tota Vniuersitas, conuocata esset,
non comparuerunt, imo ne comparere quidem ausi
fuerunt. Nam alius (timore percussis omnibus) do-
mi latebat, alius fugam meditabatur, alius Deum
in templis ad puluina omnia adorabat, alius per
plateas exanimis errabat, multi quoq; per moenia
se præcipitantes ex oppido iam aufugerant. Lon-
gouallius interim alio ex latere, omni contentione ad
oppidi ipsius expugnationem festinabat. Dabatur
ne hic tēpus omnes à minimo ad maximum usq; con-
sulendi, ut sit in solennibus & tranquillis comitijs?
Minime uero. Nec quēquā tam stupido iudicio aut
mente esse puto, qui hoc dicere aut uelit, aut possit,
Quid ista igitur uoluit protestatio, nisi ut quod ab
Vniuersitate debebatur, id facultates non deberent?
Atq; ita suo timori medebātur, ne ipsæ facultates
ab eis repeterēt, in quod ipsi consensissent. Itaq; Sa-

era tua Cæsarea maiestas ex duabus recitatis cau-
sis incipiet cognoscere istorum hominum aïos, & cõ-
siderare, in quos scopulos eos omnes ingrata mēs cõ-
iecerit. Multa alia his nõ inferiora recitassẽ, sed p-
lixitatem fugiã, quã obrem ad Senatum me cõferã.
Decimum quĩtum diẽ in carcere seruabar, ac mor-
bo ingrauescẽte nõ min⁹ uitã quã libertatẽ despera-
bam, cum ab eis qui uectigalibus ciuitatis præerãt,
uxori renunciatur, ne amplius priuilegijs, immuni-
tatibusq; Academiæ utatur, eamq; debere deinceps
omnia uectigalia persoluere. Bona me hercle causa,
ut pote quæ uirum scholasticum iam in urbe non ha-
beret. Atqui uiduis saltem ad annum defuncti ma-
riti iura relinquuntur, captiuis iura posthumini in
perpetuum incolumia ac salua seruãtur. Meæ uxo-
ri neutrum datum. Hanc barbaram impietatem cũ
illa non ferret, ac propterea migrationem ad suos in
Hollandiam pararet, retinetur inuita cum omnibus
bonis, ut eam iniurijs & contumelijs obnoxiam ha-
berent. Nec antea dimiserunt, quã iussu serenissi-
mæ Regiñæ ab ista uolentia sunt cohibiti. Exces-
sit tandem Louanio uxor, sed non sine luculento di-
spendio, cum per summam festinationem ea discessio
præcipitata sit, ne noua uis eius incepta retardaret.
Respondeat iam huic loco Academia, & patro

17
16

nus ille qui Galli partes contra meos sustinuit, cur se non præbuerit huic negotio defensores, cum mihi homini scholastico & priuilegijs Vniuersitatis iure gauisuro priuilegia frangebantur, quibus cum uxor mea, quantumuis ego mortuus fuisset, ut omnibus academicis constat, uti frui, dum uiueret, potuisset: ac lōge maiore iure cum pro salute ipsius Academia & ciuitatis captiuus adhuc apud hostes uersarer. Nonne hic demum etiam agebatur de tuendis Vniuersitatis priuilegijs, pro quorum defensione uniuersa Academia insurgere etiam non rogata debuisset? Viderint certe alij, quibus nominibus tales mores appellare uelint, bonos ne an malos, gratos an ingratos, pios an impios: mihi certe ut omnē bilem supprimam, nequaquam ciuales uidentur. Dixi quales se mihi absenti exhibuerint, nūc quales præsenti præstiterint dicam. Reuersus Louanium ex gallicis latumijs, cū Academia & Senatu agere coepti, ut repetita memoria præteriti tēporis, beneuolentiæ, amorisq; sui, aliqua signa ostēderēt, ac etiā ut historiā clarior intelligerēt, quæ uarie à uarijs ut plerūq; fit recitabatur, cōmētariolū quēdā in modū libelli supplicis, latine feci, ubi totam obsidionis, & mei carceris seriem transurrebam, eumq; utrisq; exhibui, in comitio. Maximo igitur cum silentio, ac

ut ex omnium uultibus & gestibus apparebat non
me diocri cum dolore calamitatum mearum, histo-
ria perlecta, uide quæso Caesar pienuissime conse-
cutiones rerum. Illi ut de postulatis meis liberius
consultaretur, me ex conclaui secedere iubēt, ac tum
repente mutato uultu, depositoq; pudore, tanquam
illis ad ludum & iocum accommodus uiderer, ora-
torem ad eos me uenisse dixerunt, quocirca oratore
alio esse opus, qui mihi responderet, ut pariter in mu-
nere orationis pro uerbis uerba darentur. Ex eius-
modi autem proxijs, quales epilogi futuri essent,
quāquam satis ariolabar, nunquam tamen tam illi-
berales, ingratos, odiososq; fore credebam, quā po-
stea sese ostenderunt. Etenim paucorum dierū in-
teruallo (omnibus bonis intra extraq; consilij locum
reclamantibus) decreuerūt ne gratias quidem ullas
mibi agendas uerbis, ne ex iisdem actis gratijs pi-
matrem in iudicium fortasse uocarem. O ingrata
& amara ciuitas, quid flagitiosis, quid turpius di-
ci potest? Sed me comprimā. Mea equidem mode-
ratio, & pietas, & sanctitas tibi præstita, facile tu-
am infamabit iniuriam. Talis autem sentētia Aca-
demicorum, non scriptis, sed ore ad me perfertur,
quod aduersus scripta (ut puto) nō ualet inficiatio,

in uerbis inficiatio multum loci habere solet. *Humaniorem* hac in parte se exhibuit *Senatus*. Ille enim amplissimis uerbis gratias egit, excusauitq; æraris penuriam, quod pecunia nostram calamitatem subleuari non patiebatur. *At Vniuersitas* in qua tot amicos, sed frustra, non minus unimo quam cõsuetudine uitæ coniunctos habere me sancte deierare non formidasse, ne ad uerba quidem se gratos ostenderunt, ne quod singuli separatim mihi deberi fatebantur, *Vniuersitas* debere uideretur, si beneficium agnouissent. *Atqui* ipse hostis suis ipsius sigillis testificabatur se meis uerbis circumuentum, ab oppugnatione deterritum fuisse. *Age* postquam nec mihi nec hosti credunt, uel se credere dissimulant, quid hostem à moenibus abduxit? *Noster* ne exercitus, qui se nusquã hosti ostentari audebat? *An* subsidia missa, quæ ex medio itinere diffugerunt? *An* uis oppidanorum, quæ hostibus ob imperitiam iaculandi ludibrio postea, non terrori fuit? *Dent* aliam causam, aut agnoscat me causam fuisse, nisi forte id asseuerent, quod à *Longouallio* & *Martino Rossemio*: dum suo errori mederi conantur, in diuersis locis iactatum est, eos nimirum ab oppidi oppugnatione abstinuisse, ne eius depraedatione cum di-

uitijs maximis refertū tunc esset, miles torpesceret,
ac non Galliā iā (quo ipsi proficisci dissimulabāt)
sed patriam ac domum meditarietur. Honestā certe
causa, rei ignarīs uideretur, mihi uero meo malo edo-
cto, non item. Quare ut ita sit, respondeant ipsi cur
non fuerint obsidibus contēti, quos nomine ciuitatis
& Academię prætor eis obtulit, quibus uniuerso
exercitui de septuaginta millibus coronatorum au-
reorum, intra quinq; dierum spatium cautum erat,
Nonne hoc argumento efficacissime ostenditur, eos
nihil aliud quam oppidum uel aut dolo occupare uo-
luisse, cuius fruendi cupiditate obcæcati, tantam &
tam ingentem pecuniam amiserunt. Atq; ne forsi-
tan dixerint Louaniēses, etiā si hostis oppugnasset,
nunquā urbe potitus fuisset. Sit hoc ita: quāquā om-
niū in contrarium semper sentētia fuit. Nōne etiam
Louaniensibus uictoribus, multa clade illa defensio
cōstitisset? An tantū sanguinis pro maxibus effun-
dendum, nullā gratiam auctori meretur, qui solus in
causa fuit ne effunderetur? Sicut autē medicus ad-
uenientibus grauibus & periculosis morbis mirifice
& diligenter colitur, ijs cōcedentibus & depul-
sis, uel ut magus detestabilis, uel ut circulator ridicu-
lus habetur, sicut post liberatam ciuitatē repensum

fuit illi viro, cuius ecclesiastes Solomon meminit, ita
mibi cum Louaniensibus accidit. Nescio reuera tã
iniquis hominibus quid animi fuisset, si necem quam
frendens hostis mibi intentabat, in tergum reuinctis
manibus perituro, uel milium hastis, uel carnificis
gladio, ipsis interminatus fuisset. Quarum rerũ non
solum euentus atq; perpeſſio, sed etiam & expecta-
tio indigna homine libero erat. Quæ haudquaquam
euitauissem cruciamenta, nisi spes tot millium aureo-
rum, quæ postea mibi per iram imperata, partim ex-
torta sunt, auaritia & crudelitate de mea uita de-
certantibus, irato duci aliam mētem attulisset. Nec
dubium est, quin anima mibi supplicio adempta, ut
hostis dixisset me merito occisum, ita cædem meam
Louaniēses approbassent, ne quod mibi nunc uiuen-
ti debēt, tunc heredibus meis cogerētur dare. Quod
si redeant eadem tempora, ut res humanæ instabi-
les sunt, omniaq; per sūmũ tumultum festinãda fue-
rint, nulli tutum erit, non uocato Senatu, quicquam
ē rep. statuere nec ulli dubium, quã solet hæc cuncta
tio esse pernicioſa. Sed pleriq; ut præterita non cu-
rãt ita in futurum nõ cõsulunt. Ego autē tã me gra-
tiosum singulis arbitrabar, ut si publice gratiæ mi-
hi negarentur, eas tamen mibi à priuatis pollicerer.

At quæ utinam postquam in metales esse constitue-
rant, saltem se meliores erga alios exhibuissent, quo-
rum uirtutibus calumnia nullam maculam asperge-
re potuit. Viderentur enim iudicio errare, quod me
iniquius tractauissent. Nunc cum ad omnium meri-
ta æque sint ingrati & maligni, morbo peccant po-
tius animi, qua iudicij. Et ut alia non pauca omit-
tam, quam parce grati fuerint in Seuerinum Ficien,
qui mei absentis uices strenue procurabat, quam ite-
anguste in Christophorum Pheegel nobilem illum
Germanum, de quo antea dixi, unum tantum ad-
feram, insignis ingratitude exemplum, in Petrū
Lupum Harum Hispanum. Is enim Louanij an-
nos plus minus sedecim, uitam probe & honeste a-
gens, homo rei militaris peritissimus, ut pote quam
in aquilonaribus partibus per multos annos sub Da-
niæ, Noruegiæ, Suetiæque regibus, ac sub Liuonia
equitum cruciferorum Principe, haud parua sa-
ne cum laude & gloria exercuerat, à Senatu Lo-
uanienti, bombardarum & machinarum bellicarum
omnium præfectus creatus est, in quo munere cum
multa de facultatibus suis insumpsisset, soluta tandè
obsidione, cum necessarias impensas, quas temporis
necessitas tulerat, à Senatu reposceret, pro præmio

20
19

criminationem retulit. Nam illi obiectum fuit quod
plæbem ad seditiones concitasset, rem tam impudē
ter confictam, ut nec ulla dilutione egeret. Fuissent
enim ad supplicia quam ad præmia proniores, si no
xam aliquam in homine inuenissent. Ingratitudinem
profecto, cuius bono intolerabilem. Prudenter &
sapienter ad Persarum exēplum, à Romanis actio
contra ingratos inexorabili lege sancita est, qua in
grati ipsi infames habebātur, & supplicijs afficie
bātur, ut ea ratione civitatem suam liberam & im
munem à tam sordido crimine conseruarent, uaria
item præmia ijs, qui in suam Rempub. aliquid bene
ficij cōtulerant, sapienter proposuere, & in eos quo
rum opera dignitatem populi Romani atq; imperij
tuebatur, & quorum etiam industria reip. negotia
recte administrabantur, maxima beneficia contule
re. Nec ulla maior causa profecto tantam illā Ro
manorum nominis atq; imperij gloriam euexisse ui
detur, quam ingens quoddam & admirabile grati
ficandi studium, in eos à quibus beneficium aliquod
quamuis exiguum accepisset. At ut id quod res est
proferam, quam alieni Louanienses ab hoc munifi
centiæ genere sunt, quam procul à sensibus suis gra
tificationem amandarunt, & quam dissimulanter

illam Solonis legem prætereunt, quæ omnem huma-
næ uocis prædicationem excedit, ut quæ iubeat eos
qui in bello pro patria ceciderunt, laudibus illustrā-
dos, & clarissimis monumētis exornādos, liberosq;
eorum publice alendos atq; erudiendos esse, quam
aduersum hanc legem, meæ famæ & honori ac libe-
ris meis accidisset, si apud hostes pro Louaniensib;
interissem, cum me uiuo tam contraria faciant.
Sed cuperem eos Cæsar Auguste interrogari, qua
causa commoti, tam ingratis & impie repudiarent
officiū. Dicent forte paupertate. At unde tāa the-
sauri uis, tā abstrusa pecunia? Vbinam erant: r. po-
sita, quæ hostibus dare intra quinque dies decreue-
rant, septuaginta coronatorū aureorum millia, quæ
ipsi tūc numerata habere se in oppido dicebāt? Ha-
bent igitur diuitias, non benemeritis, sed hostibus.
Si hostibus sit danda pecunia, in præoptu est, si re-
muneratione beneuolentiæ compensanda sunt meri-
ta, aut propter uicissitudinem studiorum aliquid ali-
cui suppeditandum, illico thesaurus nullus. Quod si
Louanienses uel scintillulā gratitudinis ostēdisent,
& quo animo omnia, quæ in eorum gratiā passus sū,
ferrem, sed cum tam maleuolos & ingratos erga me
experiar, quorum opes, ciuitatem, uitam, cum maxi-

21
20

mo bonorum meorum dispendio & corporis crucia-
tibus incolumes seruauit, dici non potest quam id ani-
mo meo graue & molestum sit, maxime dum reputo
beneficia praestita, omnia in meam ipsius perniciem
& damnum recidisse. Quare non aegre quidem to-
lerare debent, si quam maledicendo, maleq; faciendo
uoluptatem ceperunt, eam male audiendo, maleq; ac-
cipiendo amittant. Reliqui patriam, & non uulga-
res in ea honores, ut Louanij priuatus degerem. Pe-
ragratis diuersis prouincijs, omnibus Louanij pra-
tuli. Vxorem eo induxi, ut ipsa quoq; relicto natali
solo, Louanium omnibus locis antepone-ret. Ante
omnis periculi suspicionem urbe excesseram. Hoste
iam aduentante, cum fugientibus, redij. Onera ci-
uitatis ego alienigena ingentia illa suscipio, & quam
quam scirem quantis laboribus premerer, susceptaria
rerum, opprimi me periculo officij malui, quam salu-
tem, quae mihi concredita erat ciuitatis, aut prop-
ter aliorum perfidiam desere, aut propter metum
periculi negligere. Meam auctoritatem secuta stu-
diosissima inuentus arma induit, ad stationes se cotulit,
hosti se opposuit. Alijs ducibus ex urbe profugientibus,
ego solus remansi, & fugam quae a ceteris parabatur,
repressi. De defedenda interim urbe diffiditur, ego
omnes promissis meis excitauit, et simul salutem despe-

rare uetui. Hostilia me in scio petuntur colloquia, negotijs, re plane deplorata, ubiq; adhibeor. Violantur induciæ, ego quasi piacularis hostia morti relin-
quor. Verbis mihi soli infauistiſſimis, hostem ab ur-
bis oppugnatione deterreo. Condor in carcerẽ, ubi
postquam mors ob oculos, sæpe uersata est, extor-
quetur pro redemptione immanis pecunia, quæ op-
pido non mediocri redimendo satis esset. Redeo ad
Louanienses adhuc pedorem carceris obolens, horro-
rem inter pericula mortis conceptum, & necis desti-
natæ etiam uultu præ me ferens, Postulo aliquo ho-
norario meas miseriis cobonestari, nullæ gratiæ ne
uerbo tenuis quidem referuntur. Et recte faciunt, &
quidem pro more suo. Quid enim Louaniensibus
cum homine alienigena, peregrino, transmarino?
Atqui me miserum, non putabam me externum, sed
ciuem, non peregrinum, sed socium, non transmari-
nũ, sed domesticũ, cũ caput & fortunas meas p̄ illo-
rũ capite & fortunis ex altissimo gradu securitatis
in summum uitæ periculum demittebam. Ideoq; hæc
apud tuas piëtissimas aures clemētissime Cæsar ex-
ponere placuit, apud quem ut omnes uirtutes sũt in
pretio, ita merita in remp. longe plurimi fiunt, &
ingratitude, quæ causa est ut benefacere nec libeat

22
21

nec consultum sit, longe teterrima existimatur, ne-
quæ tanquam pestis non uni sed quam plurimís no-
ceat, & hominem beneficum, qui libenter de multis
bene meretur, ita afficiat, ut tædium, poenitentiamq;
suae uirtutis capiat, perinde atq; si scelus aliquod cõ-
misset. Sed frustra querimonia. Non enim conque-
stione aut meae fortunæ, aut illorum mores emenda-
buntur, Hoc doleo, quod alij deinceps capient exem-
plum de me, ne magna beneficia in alienam remp. cõ-
ferant. Quo in dolore, hoc unum me consolatur,
quod tuo maxime Cæsar iudicio, innocentiam pre-
tatemq; meam protegere & tueri dignatus es, neq;
in aduersis sine ullo remedio atq; alleuamēto diutius
permanere uoluisti, sed iperatoria tua & digna Cæ-
sarum uirtute sentētia, amplissime de mea salute de-
creuisti, ac condemnatione Lögouallij, generiq; sui
militaris imperij disciplinam, bellicarumq; legum in
posterum dignitatem, auctoritatemq; sanxisti. Cu-
ius amplissimi decreti sanctionisq; tuæ, literas Sa-
cratissimæ Cæsareæ Maiestatis tuæ manu sig-
noq; obsignatas, ad perpetuam rei memoriam, & po-
steritatis recordationem seruabo. Ac non quia Lo-
nanienses in me impij ingratiq; fuere, tua continuo
Cæsar merita beneficiaque obscurari aut interire

patiar. Vellet autem Deus Optimus Maximus, ut
Louanienses, quibus tantam pietatem, quantam ma-
ximam animus meus capere potuit, præstii, maiesta-
tis tuæ edicta decretaq; sequentes, cum bonori suo
& meo consulerent, tum res meas gestas imitatione
potius & remuneratione, quam inuidia & obtre-
ctatione dignas censerent.

ERRATA, SIC CORRIGE,

- B. pag. 2. versu. i. facerant. lege. fecerant.
Versu. 5. vernembergenfi. lege. Vernembergenfi.
Versu. 10. cœrceri. lege. coërceri.
Versu. 12. germanicæ. lege. Germanicæ.
Versu. 16. auctoritate. lege. auctoritate.
Versu. pœnultimo. officijs. lege. officijs.
B. 2. pag. 1. versu. 9. ad quem. lege. Ad quem.
Versu. 10. stalticiam. lege. stultitiam.
Versu. 11. solitudinem. lege. solitudinem.
Versu. 11. auctoritate. lege. auctoritate.
Versu. vltimo. iustissent. lege. iussissent.
pag. 2. versu. 10. auctoritate. lege. auctoritate. sic post,
auctoritate publica.
B. iij. pag. 2. versu. 14. lege. militares leges æque.
Versu. 18. tempore cadens. lege. temporicedens.
B. iij. versu. 10. officium. lege. officium.
C. pag. 1. versu. 9. hic ego. lege. Hic ego.
Versu. 14. Tercium. lege. tertium.
Versu. 15. ab Emmerña. lege. Emmeriensis.
Versu. 18. affuctis. lege. afflictis.
pag. 2. versu. 12. longeuallis. lege. Longæuallis,
Versu. pœnultimo. dicitio. lege. deditio.
C. ij. pag. 1. versu. 7. exercitiui. lege. exercitui,




Versu. 8, visto precio, lege, iusto pretio,
 Versu, pœnultimo offerret, lege, offerret,
 pag. 2, versu, 1, præcio, lege, pretio,
 Versu, 2, polliceretur, lege, polliceretur,
 Versu, 3, lege, nec prece, nec pretio,
 Versu, 9, lecorum, lege, locorum.
 Versu, 16, ijs qui prius colloquio, lege, is qui prius colloquio,
 Versu, 3, à fine, operiebatur, lege, operiebatur,
 Versu, 3, stupefactus, lege stupefactus,
 C. iij, pag. 1, versu. 8, queq, lege, quæq,
 Versu, 9, minitabantur, lege, minitabatur,
 pag. 2, versu, 6, meocriter, lege mediocriter.
 Versu, 13, coneris, lege, conareris,
 Versu, 15, afuctis, lege, afflictis,
 C. iij, pag. 1, versa, 4, quærimus, lege, quærimus,
 Versu, 10, tuum, lege, tum,
 Versu, 16, potius admiteret, lege potius admitteret.
 Versu, 20, afirmabat, lege, affirmabat,
 pag. 1, versu, 19, teterrimu, lege, teterrimos.
 Versu, ultimo, aufercor, lege, auferor,
 D. pag. 1, versu, 17, publice, lege, publica,
 D. 2, pag. 1, versu, 2, in ipsa, lege, in ipsam,
 E. 3, pag. 2, versu, 10, flagitiosis, lege, flagitiosus,
 E. in, pag. 1, versu, 6, unimo, lege, animo,
 Ibi, consuetudine, lege, consuetudine,
 E. 4, pag. 2, versu, 7, qua iudicij, lege, quam iudicij,
 Ibi versu, 3, à fine, lege, facultatibus,


Olispone, in ædibus Lodouici Rho-
 torigij typographi ac bibliopo-
 læ regij. mense Iunio.

M, D. XLVI.

V... 2. villo p... leg... inf...
V... p... d... e...
p... p... e...
V... p... e...
V... p... e...











J. T. Scyph. del.

Scyph. scul.



RE
2
B